

*Non sanat oculus, quod sanat calcaneum. Sed peccatum originale, quod per baptismum tollitur, est aliud genus peccati a peccato actuali. Ergo non omnia peccata remittuntur per baptismum.*

*Sed contra est, quod dicitur Ezech. 36 : Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

*Respondeo dicendum, quod, sicut Apostolus dicit Roman. 6 : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et postea concludit : Ita et vos occistimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. Ex quo patet, quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitati gratiæ. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Unde consequens est, quod omne peccatum per baptismum tollatur.*

*Ad 1 ergo dicendum, quod, sicut Apostolus dicit Rom. 5, peccatum Adæ non tantum potest, quantum potest donum Christi, quod in baptismo percipitur. Nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Unde August. dicit in lib. de Baptismo parvulorum (lib. 1 de Peccator. meritis et remis., cap. 15, in fin., tom. 7), quod generante carne tantummodo trahitur peccatum originale; regenerante autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.*

*Ad 2, dicendum, quod nullius peccati remissio fieri potest, nisi per virtutem passionis Christi; unde et Apostolus dicit Hebr. 9, quod sine sanguinis effusione non fit remissio. Unde motus humanæ voluntatis, qui est in penitente, non sufficeret ad remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis Christi et propositum participandi ipsam vel suscipiendo baptismum vel subijciendo se clavibus Ecclesiæ. Et ideo, quando aliquis adultus penitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi; perfectius autem ex reali susceptione baptismi.*

*Ad 3, dicendum, quod ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autem operatur in virtute passionis Christi, quæ est universalis medicina omnium peccatorum. Et ideo per baptismum omnia peccata tolluntur.*

#### COMMENTARIUS.

1. Respondet D. Thom. baptismum habere virtutem ad tollendum omne peccatum. Quam

veritatem, in argumento Sed contra, confirmat ex illo Ezech. 36 : *Effundam super vos aquam mundam; quem locum, ut supra notavi disput. 20, sect. 1, Hieronym. de aqua baptismi intelligit. Quam expositionem Theodoretus etiam sequitur, atque eodem modo interpretatur Cyprianus, epist. 70, et in 76, in 2 part. illius, alias lib. 4, epist. 7; sumitur etiam ex Athanasio, epist. ad Serapionem, contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum esse creaturam; dicit enim, promissiones ibi per Ezechielem factas, solum tempore Messiæ esse impletas. In corpore autem articuli, eandem veritatem confirmat ex Paulo ad Rom. 6, dicente : Nos per baptismum conspeli in Christum in mortem, ut in novitate vitæ ambulemus; quod infra exponens ait, eos, qui baptizati sunt, mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro; mori autem peccato, ut superius idem Paulus exposuerat, idem est, quod justificari a peccato.*

2. Ratio D. Thomæ. — Ex quo loco colligit D. Thom. rationem, quæ dupliciter formari potest. Primo, quia non potest quis justificari ab uno peccato, v. gr., originali, quin justificetur ab omnibus. Si ergo baptismus habet virtutem justificandi hominem a peccato, necesse est, ut possit delere omnia peccata. Quæ ratio procedit optime de omnibus peccatis, quæ gratiam tollunt, ut sunt originale et mortalia omnia. De venialibus autem non videtur ita procedere, quia hæc non necessario tolluntur per justificationem a peccato. Potest tamen facile extendi ratio, quia licet non sit simpliciter necessarium, remitti venialia peccata simul cum mortalibus, quia potest homo ponere impedimentum; tamen a fortiori necessarium est, ut qui virtutem habet tollendi mortalia peccata, habeat etiam tollendi venialia, si homo sit dispositus, seu obicem non ponat, quia hic effectus minor est, et ejusdem ordinis cum illo, seu subordinatus illi. Secundo modo potest formari ratio D. Thomæ, quia per baptismum ita justificatur homo, ut omnino censeatur mori vitæ præteritæ, et in novum hominem restitui; unde in alio loco Ezechielis dicitur accipere novum cor, et novum spiritum; omnia autem peccata ante baptismum commissa pertinent ad veterem vitam; ergo omnia illa pereunt, et suffocantur in baptimate.

3. In solutione ad primum, rationem reddit D. Thomas, cur per regenerationem baptismi non solum tollatur originale peccatum, sed

#### ARTICULUS II.

Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati. (Sup., q. 68, art. 5; et 3, dist. 19, art. 3, q. 2, Et 4, dist. 4, quæst. 2, art. 1, quæst. 2, et art. 3, quæst. 1, et dist. 7, quæst. 1, art. 1, quæst. 1; et 4 cont., cap. 58, 59 et 72, col. 1; et Rom. 11, lect. 4, col. 4 et 5, et Hebræ. 6, lect. 3, fin).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod per baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim Apostolus Rom. 13 : *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Sed culpa non ordinatur, nisi per penam, ut Augustinus dicit (lib. 1 Retract., c. 9, et lib. 3 de Lib. arb., c. 48, tom. 1). Ergo per baptismum non tollitur reatus pænæ præcedentium peccatorum.*

2. Præterea, effectus sacramenti aliquam similitudinem habet cum ipso sacramento, quia sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant, ut supra dictum est (quæst. 62, art. 1, ad 1). Sed ablutio baptismalis habet quidem aliquam similitudinem cum ablutione maculæ, nullam autem similitudinem habere videtur cum subtractione reatus pænæ. Non ergo per baptismum tollitur reatus pænæ.

3. Præterea, sublato reatu pænæ, aliquis non remanet dignus pænâ; et ita injustum esset eum puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus pænæ, injustum esset, post baptismum suspendere latronem, qui antea homicidium commisit, et ita per baptismum tolleretur rigor humanæ disciplinæ, quod est inconveniens. Non ergo per baptismum tollitur reatus pænæ.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit super illud Rom. 11 : *Sine penitentia sunt dona Dei et vocatio. Gratia, inquit, Dei in baptismo gratis omnia condonat.*

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (art. præced., et quæst. 68, art. 5, ad 1, et art. 2), per baptismum aliquis incorporatur passioni et morti Christi, secundum illud Roman., cap. 6 : *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum eo. Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi, sicut dictum est (quæst. 68, art. 5), est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille, qui baptizatur, liberatur a reatu totius pænæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfacisset pro omnibus peccatis suis.*

Ad 1 ergo dicendum, quod quia pænâ pas-

etiam alia, cum per regenerationem carnalem ex Adamo solum originale peccatum contrahamus et non alia; et rationem reddit, quia efficacior est virtus Christi, quam defectus Adæ. Quod confirmat ex illo ad Rom. 5 : *Non sicut delictum, ita et donum; et infra : Non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Quorum verborum sensus est, Christi donum esse efficacius. Nam lapsus Adæ solum unum delictum potuit in posteros transfundere; Christi autem meritum non solum illud peccatum, sed et reliqua omnia, quæ omnes homines postea committunt, potest auferre. Atque ita exponunt ibi Chrysostom., sermon. 40; Theodoret., Theoph., Ambros., et alii; et August. quem D. Thom. citat. Quod testimonium et ratio in illo fundata, recte procedit de virtute Christi in communi; tamen quia hæc virtus non solum per baptismum, sed etiam per alia media applicatur, ideo non videtur tam efficaciter procedere in particulari de baptismo. Sed dicendum est, illa ratione probari, habuisse Christum virtutem ad instituendum talem modum regenerationis, quo omnia peccata delerentur, et hoc est, quod immediate probat D. Thom. Nam quod oportuerit hanc regenerationem esse huiusmodi, in corp. artic. satis probatum est, atque eodem sensu accipiendum est, quod in solutione ad tertium dicit D. Thom., baptismum esse remedium sufficiens ad omnia genera peccatorum tollenda, quia passio Christi, in cuius virtute operatur, est universalis medicina omnium peccatorum. Videri enim potest hæc ratio insufficiens, quoniam similiter inferri posset sacramentum penitentiae, extremæ unctionis et alia sufficere ad omnia peccata tollenda; quoniam operantur in virtute passionis Christi quæ est universalis medicina. Igitur ex illo principio solum intendit D. Thom. concludere, in passione Christi esse virtutem sufficientem ad instituendum aliquod sacramentum, quod universaliter delet omnia peccata; quod autem communicaverit hanc virtutem baptismo, quodque ad hunc effectum sit specialis ratio in illo magis quam in aliis sacramentis, ex aliis principiis jam insinuatibus probatum supponitur.

4. In solutione ad secundum tangit D. Thom. quæstionem de necessitate baptismi ad prædictum effectum, quam paulo post ex professo disputabimus.

sionis Christi communicatur baptizato, in quantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinisset, ideo ejus peccata remanent ordinata per pœnam passionis Christi.

Ad 2, dicendum, quod aqua non solum abluit, sed etiam refrigerat. Et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus pœnæ, sicut sua ablutione significat emundationem a culpa.

Ad 3, dicendum, quod in pœnis, quæ iudicio humano inferuntur, non solum attenditur, qua pœna sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines qui læsi et scandalizati sunt per peccatum alicujus. Et ideo licet homicida per baptismum liberetur a reatu pœnæ quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos justum est edificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset pœnam indulgere.

## COMMENTARIUS.

Titulus explicatur. — Baptismus, delendo culpam, per se redimit omnem pœnam. — Ratio conclusionis. — Per reatum peccati intelligit D. Thom. obligationem ad pœnam temporalem. Nam obligatio ad æternam pœnam cum ipsa culpa necessario tollitur. Nam licet formaliter non sit ipsa culpa, sed effectus, vel proprietas illius, est tamen ita per se conjuncta cum macula culpæ mortalis, ut sit inseparabilis ab ipsa, saltem secundum legem Dei ordinariam. Solet autem sæpe, ablata culpa, manere obligatio ad pœnam temporalem, ut inferius tractando de sacramento pœnitentiæ dicendum est; et ideo merito inquit D. Thomas, an ita etiam contingat in baptizatis, et respondet, per se loquendo, non ita contingere, sed baptismum per se et virtute sua, delendo culpam, redimere omnem pœnam, atque adeo omnem obligationem ad pœnam manentem ex culpa. Dico autem, per se et virtute sua, quoniam ad hunc effectum nulla est satisfactio necessaria ex parte suscipientis sacramentum, neque alia dispositio præter illam, quæ necessaria est ad remissionem culpæ. Unde fit, hunc effectum nunquam impediri, nisi per obicem, quo remissio culpæ impediatur, quia remissa culpa, nihil est quod obstare possit ad remissionem pœnæ, si ex parte hominis nulla satisfactio est necessaria. Hanc vero conclusionem sic explicatam optime probat D. Thom. in argumento Sed contra, ex Ambrosio

ad Rom. 41, in quo præter verba, quæ D. Thom. affert, notanda sunt illa: Gratia Dei in baptismo non quærit gemitum, aut placentum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. In corpore vero articuli fere non affert D. Thom. rationem distinctam a ratione præcedentis articuli, et ideo nihil hoc loco addere oportet; nam de re ipsa statim disputaturi sumus. Solutiones autem argumentorum clare sunt. Solum est notanda solutio ad 3, in qua D. Thom. declarationem conclusionem positam intelligendam esse de reatu peccati respectu Dei, non vero respectu reipublicæ, seu temporalis principis. Nam licet peccata sint coram Deo remissa, potest manere homo obligatus coram hominibus ad pœnam humanam, seu corporalem, quia est distincta ratio hujus pœnæ, et fieri potest, ut non sit illi satisfactum, vel etiam, ut non expediat, ablata una pœna alteram auferri; et ita inquit D. Thom. contingere in baptismo, qui solum est institutus ad tollendum culpam et pœnam coram Deo, non tamen coram hominibus, quos justum est (inquit) edificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa, possentque homines occasionem sumere multiplicandi publica peccata ante baptismum, si scirent, nullum eis superesse humanum supplicium, si baptizari vellent; ut etiam possent occasionem sumere fecte accedendi ad baptismum, ut evaderent humanum supplicium. Addit vero D. Thom. pie posse principem hujusmodi pœnam remittere his qui ad fidem convertuntur, et baptizantur, quod intelligendum existimo de supremo principe, vel qui ab eo habet potestatem dispensandi in legibus humanis.

## ARTICULUS III.

Utrum per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ. (2, dist. 32, quæst. 1, art. 1, quæst. 2, et dist. 33, quæst. 1, art. 2; et 3, dist. 19, art. 3, quæst. 2; et 4, dist. 4, quæst. 2, art. 1, quæst. 3; et 4 cont., cap. 52, fin., et 55, ad 5, et 27, et cap. 59, et Quodlib. 6, art. 15.)

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ. Ut enim Apostolus dicit Rom. 5, donum Christi potentius est, quam peccatum Adæ. Sed per peccatum Adæ (ut ibidem Apostolus dicit) mors in hunc mundum intravit, et per consequens omnes alie pœnalitates præsentis vitæ. Ergo multo magis per donum Christi, quod in baptismo percipitur, homo a pœnalitatibus præsentis vitæ debet liberari.

2. Præterea, baptismus aufert et culpam originalem et actualem, sicut supra dictum est (art. 1 hujus quæst.). Sic autem aufert actualem culpam, quod liberat ab omni reatu pœnæ consequente actualem culpam. Ergo etiam liberat a pœnalitatibus præsentis vitæ, qui sunt pœna originalis peccati.

3. Præterea remota causa, removetur effectus. Sed causa harum pœnalitatum est peccatum originale, quod tollitur per baptismum. Ergo non debent hujusmodi pœnalitates remanere.

Sed contra est, quod super illud Roman. 6: Destruatur corpus peccati, dicit Gloss. (Aug. lib. 4 de Baptismo parvul., c. 39, inter princ. et med., t. 7): Per baptismum id agitur, ut vetus homo crucifigatur et corpus peccati destruat, non ita, ut in ipso vivente carnis concupiscentia respersa et innata repente absumatur, et non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Ergo pari ratione, nec alie pœnalitates per baptismum tolluntur.

Respondeo dicendum, quod baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ, non tamen eas aufert in præsentis vita, sed ejus virtute auferentur a justis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, ut dicitur 1 Corinth. 15. Et hoc rationabiliter, primo quidem, quia per baptismum homo incorporatur Christo, et efficitur membrum ejus, ut supra dictum est (quæst. 68, art. 5, ad 3, et art. præced.). Et ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite; Christus autem a principio suæ conceptionis fuit plenus gratia et virtute; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et christianus in baptismo gratiam consequitur, quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit, ad Rom. 8: Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis; et infra eodem: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et simul glorificemur. Secundo, hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Unde super illud Roman. 6: Ut destruat corpus peccati, dicit Gloss. (est August., lib. 4 de Bapt. parvul., c. 39, circ. prin., tom. 7): Si post baptismum vixerit homo,

in carne habet concupiscentiam, cum qua pugnet, quamque adjuvante Deo superet. In cujus figuram dicitur Judic. 3: Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi. Tertio hoc fuit conveniens, ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, et non propter gloriam vitæ æternæ. Unde et Apostolus dicit 1 Corinth. 5: Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Ad 1 ergo dicendum, quod (sicut Gloss. dicit Roman. 6, super illud: Ut ultra non serviamus peccato) sicut aliquis capiens hostem atrocissimum, non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore et dolore aliquantulum vivere, ita et Christus pœnam prius alligavit, in futuro autem perimet.

Ad 2, dicendum, quod sicut ibidem dicit Gloss. (ord. super illud ad Roman. 6: Homo noster simul crucifixus), duplex est pœna peccati, gehennalis et temporalis. Gehennalem prorsus delevit Christus, ut eum non sentiant baptizati et vere pœnitentes; temporalem nondum penitus tollit; manet enim fames, sitis, et mors, et hujusmodi. Sed regnum et dominium ejus deiecit, ut scilicet hoc homo non timeat, et tandem in novissimo eandem penitus exterminabit.

Ad 3, dicendum, quod sicut in 2 parte dictum est (1. 2, quæst. 81, art. 1), peccatum originale hoc modo processit, quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam; Christus vero converso ordine prius reparat id, quod personæ est, et postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturæ est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam pœnam carentiæ visionis divinæ, quæ respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine; sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis, et alia hujusmodi) respiciunt naturam, ex cujus principis causantur, prout est destituta originali justitia. Et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturæ per resurrectionem gloriosam.

## COMMENTARIUS.

1. Triplex congruentia D. Thomæ. — Prima congruentia. — Objectio. — Responsio. — Cum satis constet experientia hujusmodi pœnalitates, quæ sunt fomes peccati, mors, et

alia hujusmodi, non auferri per baptismum, quamdiu præsens vita durat, D. Thom. solum movet præsentem quæstionem, ut rationem reddat hujus institutionis. Certum est enim, baptismum non carere hac virtute, eo quod non potuerit Christus eam ipsi communicare. Nam cum virtus Christi sit infinita, certum est, potuisse hanc vim conferre baptismo. Quin potius addit D. Thom. baptismum revera habere hanc vim ex virtute Christi, non tamen statim exercendam, sed suo tempore, nimirum in statu gloriæ, in quo reformabitur corpus nostrum, et surget immortale, et simile corpori Christi propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis, quem per baptismum accipimus, quæ est doctrina August., lib. 6 Genes. ad liter., cap. 20, et seqq. Quod ergo Christus non dederit baptismum ut statim hoc faciat, non est, quia non potuit, sed quia non oportuit. Hujus autem rei tres affert congruentias D. Thomæ. Prima est, quia per baptismum incorporamur Christo. Cum ergo Christus in hac vita fuerit passibilis, et mortalis, non oportuit nos statim fieri immortales et impassibiles, sed potius expedit, ut pro illo pati, et cum illo compati possimus, ut cum eo etiam conglorificemur. Dices: hæc ratio optime procedit de passibilitate, et imbecillitatibus corporis, non vero de fomite peccati, qui in Christo non fuit; si ergo per baptismum incorporamur Christo, cur non statim efficiamur illi similes saltem in carentia fomitis? Respondetur primum, concedendo hanc rationem non procedere de fomite, nihilominus esse alias, propter quas non fuit expediens statim nobis dari conformitatem cum Christo in hac perfectione, quas statim asseremus. Secundo dicitur, fomitem ex natura rei, et ex lege ordinaria esse conjunctum cum passibilitate corporis. Quod ergo Christus caruerit fomite, fuit illi connaturale ratione unionis, et eodem modo fuisset connaturalis impassibilitas corporis. Ex dispensatione autem assumpsit corpus passibile propter nos, non assumpsit autem fomitem, quia neque illum decebat, nec nobis utile erat, atque ita in illo fuit speciale, quod habuerit corpus passibile, sine fomite. Quod etiam ex speciali privilegio Beatæ Virgini communicatum est propter singularem dignitatem ejus. In reliquis autem hominibus non oportuit fieri hoc speciale miraculum; et ideo hoc ipso, quod non oportuit, ut per baptismum statim fierent impassibiles, consequens fuit, ut manerent fomiti subjecti.

2. *Secunda congruentia.* — Secunda ratio D. Thom. procedit specialiter de fomite, quamvis possit etiam applicari ad omnes alias corporis debilitates: quia oportuit (inquit) manere in homine concupiscentiam ad exercitium pugnæ spiritualis. Et hanc rationem attigit Concil. Trid., sess. 5, de Peccat. orig., can. 5, dicens: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta synodus fatetur et sentit, quæ, cum ad agnitionem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur.* Et statim veluti respondens cuidam tacitæ objectioni, addit Concilium, hanc concupiscentiam, quando in nobis per consensum non dominatur, non esse vere ac propriè peccatum; et ideo posse manere post baptismum, quamvis post baptismum omnia peccata tollantur. Solet autem improprie appellari peccatum, quia ex peccato nascitur, et ad peccatum inclinatur, ut Concilium dicit ex August., lib. 4 contra duas epist. Pelag., cap. 43, et lib. 4 de Nupt. et concupiscent., cap. 23 et seq., et lib. 6 cont. Julian., cap. 5 et 6, et lib. 2 de Peccat. merit., cap. 28, et ep. 28 ad Hieronym., quod aliis locis sæpe repetit August. contra Pelag., in quibus significat, concupiscentiam, ante peccatum originale remissum, magis proprie habere rationem peccati, et ideo fortasse Concilium addit illam particulam, *In renatis*, negans concupiscentiam in eis esse peccatum. Quomodo autem id intelligendum sit, ad hunc locum non spectat, sed ad materiam de peccato originali. Hæc autem ratio, quæ in fomite explicata est, facile potest ad alias corporis pœnalitates applicari; quod his verbis eleganter facit Augustin., lib. 3 de Peccat. merit., c. 43: *Novit ille medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternam salutem, qui et ipsam mortem, quamvis peccati merito inflata sit, non aufert in hoc sæculo eis, quibus peccata dimittit, ut eam cum ejus timore superando, suscipiant pro fidei sinceritate certamen.*

3. *Tertia congruentia.* — *Quarta ratio additur.* — *Quinta ratio.* — *Sexta ratio.* — Tertia ratio D. Thom. his verbis traditur lib. 2 de Pecc. mer., c. 31: *Poterat etiam hoc donare credentibus, ut neque istius experirentur corporis mortem; sed, si hoc fecisset, carni quædam felicitas adderetur; minueretur autem fidei meritum. Sic enim homines mortem*

istam timent, ut non ob aliud felices dicerent esse christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis, ad Christi gratiam festinaret, sed propter removendam mortis molestiam, vel delictius crederetur in Christo. Ex quibus verbis, quarta ratio sumi potest, scilicet, relictas esse has pœnalitates, ne fides enervaretur, et utramque rationem repetit idem August. 13 de Trinit., cap. 4. Quinta addi potest ex eodem, lib. 22 de Civit., c. 22, scilicet, ut hinc appareat, in quid veluti pondere suo proclivis sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat. Atque eadem ratio sumi potest ex lib. 3 de Pecc. mer., c. ult. Sexta denique addi potest, ut homo in hac vita semper ferat secum testimonium sui lapsus, et quantum Deus superbis resistat, ex eodem Augustin., lib. 4 Confess., c. 4.

## ARTICULUS IV.

Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes (inf. quæst. 71, art. 3, corp., et 4, d. 3, art. 1, quæst. 3, et quæst. 3, art. 1, quæst. 2, ad 2, et d. 4, quæst. 2, art. 2, quæst. 2, et d. 9, art. 1, quæst. 2, et d. 18, quæst. 1, art. 3, quæst. 1).

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes. Quia, sicut supra dictum est, sacramenta novæ legis efficiunt quod significant. Sed per ablutionem baptismi significatur emundatio animæ a culpa, non autem informatio animæ per gratiam et virtutes. Videtur igitur, quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes.*

2. *Præterea, illud, quod jam aliquis adeptus est, non indiget iterum suscipere. Sed aliqui accedunt ad baptismum, jam habentes gratiam et virtutes, sicut Actor. 10 legitur: Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus et timens Deum; qui tamen postea a Petro baptizatus est. Non ergo per baptismum conferuntur gratia et virtutes.*

3. *Præterea, virtus est habitus, ad cujus rationem pertinet, quod sit qualitas difficile mobilis, per quam aliquis faciliter et delectabiliter operetur. Sed post baptismum remanet*

*in hominibus pronitas ad malum, per quod tollitur virtus, et consequitur difficultatem quis ad bonum, quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam et virtutes.*

*Sed contra est, quod ad Titum 3, dicit Apostolus: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis (id est, per baptismum) et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, id est, ad remissionem peccatorum et copiam virtutum, ut Gloss. ibi exponit. Sic ergo in baptismo datur gratia Spiritus Sancti et copia virtutum.*

*Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de Baptismo parvulorum (lib. 4, c. 26, a med., t. 7), ad hoc baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra ejus; a capite autem Christo, in omnia membra ejus, gratiæ et virtutis plenitudo derivantur, secundum illud Joan. 1: De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Unde manifestum est, quod per baptismum aliquis consequitur gratiam et virtutes.*

*Ad 1 ergo dicendum, quod sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpæ, et per suum refrigerium significat liberationem a pœna, ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiæ et virtutum.*

*Ad 2, dicendum, quod sicut dictum est (quæst. 68, art. 3), remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto, vel explicite vel implicite, et tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio, quantum ad liberationem a tota pœna. Ita etiam ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicite; postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiæ et virtutum consequuntur. Unde super illud Psalm. 22: Super aquas refectionis educavit me, dicit Gloss. (interl. implicite): Per augmentum virtutis et bonæ operationis educavit in baptismo.*

*Ad 3, dicendum, quod difficultas ad bonum et pronitas ad malum inveniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quæ non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur utrumque dictorum, ne homo ab his superetur*